

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Eucharistia I
cum fonte primo

Verba euangeliste sunt usque ad accipite siue corpus siue sanguinem.
Inde sunt uerba Christi: Accipite, bibite ex eo omnes.

Et inde singula: Qui pridie, inquit, quam pateretur in sanctis manibus suis accepit panem.
Antequam consecratur, panis est; ubi uero uerba Christi accesserunt, corpus Christi est.
Denique audi dicentem: Accipite et edite ex eo omnes; hoc est corpus meum.
Et ante uerba Christi calix uini et aque est plenus;
ubi uerba Christi operata fuerint, sanguis efficitur qui plebem redemit.

Ambrosius de sacramentis.

Vide: illa omnia verba euangelistae sunt usque ad ‘accipite’, sive corpus sive sanguinem.
Inde uerba sunt Christi: ‘accipite et bibite ex hoc omnes;
hic est enim sanguis meus’.
Et vide singula: ‘Qui pridie’, inquit, ‘quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem.’
Antequam consecratur, panis est; ubi autem uerba Christi accesserint, corpus est Christi.
Denique audi dicentem: ‘Accipite et edite ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum.’
Et ante uerba Christi calix est uini et aquae plenus;
ubi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.

Ambrosius Mediolanensis (dubium), *De sacramentis*, 4.5.22-23
(CSEL 73, O. Faller ed., pp.55-6, ll.14-24).